frater fratri
S. D.

Redeunt ad vos Threni mei; modestiore, si Dijs placet, cothurno. Itaq qui Poetarum hodie nomen per jocum assumpsimus, etiam Politicis cautionibus necessitate adstringimur: nempe quo mendacij arguatur τὸ, Pictoribus atq Poëtis. Paternae quidem censurae libenter manus dedi; et quod ab alio profectum in controversiam non dubio litis eventu tracturus eram, ab illo ore pro oraculo habui. fidem forsitan vel hoc ipso facturas quam quod et probari nescirem alijs ne quidem exhibendam cuperem. In hexasticho 4°. videor nunc satis moderate Iuvenem extollere, cum pro Bataviae Spe, quod elatius videbatur, surculum reposui, quasi in arvo Hollandico satum ac natum, quod minimo cuiq attribui possit; deinde et duos versiculos posteriores ita immutavi, ut innuere ij possint, post innumera Dei dona, nihil desiderandum amplius quam ut legitimum nobis filium e tanto Patre praestet: Quamquam de filio etiam naturali defuncto interpretari id quis non obscure possit: et ego id ambigui in medio libenter posui, quo et in parte animo gratificarer meo; cui si undequaq obtemperaverim literam non immutassim: neq enim video cur Paterni nominis commemoratio fugienda sit in deploratione et (sine quo haec sacra non subsistunt) panegyrismo filij cui, cum ratione nativitatis tum aetatis parum provectae non est quid laudis attribuas, siquidem mutuandi luminis e Paterna luce facultas adimitur; nisi ἀπροσώπως deniq et foribus, quod aiunt, obseratis funerariam istam fabulam agendam quis opinetur, atq adeo ne defuncti quidem nomen in frontispicio admittendum. Hexastichi 5i. quatuor finales versiculos adeo non illibenter correxi, ut et correctos eo quo vides modo planissume gaudeam, imo vel istius novi solius quaternarij causa oblatam secundarum curarum occasionem: Hoc, Sole, non est quod Patrem offendat; ejus enim comparatio non excellentiae usq vel claritatis ratione instituitur

sed et saepissime in similitudinem vitae humanae cum cursu Solari; cum tam ista quam hic tribus temporibus, matutino, meridie et [vespere] distinguantur. In hexast: 6. si quid ante de Patris nomine dixi locum habere possit vetus distichon servandum duxerim, quamquam ne novum quidem reiiciendum arbitrer. Hexast: 8. duplicem fert correctionem; utra utri praevaleat vestri erit arbitrij. 10um unius versiculi mutata facies adeo restauravit ut jam Patris plane mentem assequi videatur. 12um adeo aegre hanc qualemcumq mutationem admisit, ut prima scriptio quasi fatali necessitate retinenda videatur: ego certe nodum in hoc scirpo non quaesierim. quis mihi hic modum praescripserit? Poëtamur, hoc est, bacchamur, hoc est, furimus. De Nobilitate, in hexasticho 13, sciens praeterij, etenim si

à Patre tam deducere inuitum, jam et Maternum
originis claritate non destituitur. Postremo hexastic
Lituram non pænitendo disticho (quantum quidem in re
propria perspicio) repensaui. Singulis deniq senarijs
numerum inscripsi, quod à Typographo velim ne omitt
De charactere mutaui sententiam, et malim y Gallic
tales sint; de magnitudine tu videris. illud modo cu
ut singulæ paginæ impressæ tantundem capiant atq
in autographo nimirum versus 18. Itaq commode un
folio continebuntur, primâ paginâ inscriptioni vacan
cui diem mortis aliquis quæso interserat. Et hæc q
promptissimè fiant à te solo expeto; et ne quis de ve
antequam emittantur quicq suboleat iterum atq ite
rogo. Vale et me ama. Leydæ 6° Kal. V
CIↃIↃCXVI.

Ante duos dies conueni Rectorem
Mag.cum Is mihi diem Disputationis
statuit 15.um mensis proximi; itaq
de excudendis thesibus porro cogitandum.

Oculus sensim clarescere videtur.
~~Quam oculos meos ij caelum, unde~~
~~veniet auxilium mihi.~~